



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI  
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne  
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex  
auctoritate superiorum.||**

**Maffei, Giovanni Pietro**

**Köln, 1585**

**VD16 M 110**

De studio collato ad proximos adiuuandos. Cap. VIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

rerum spiritualium peritiam , ac tantā  
Dei familiaritatem est natus , vt qui-  
dam eius omnia vel dicta vel facta cu-  
riose obseruantes , intēpesta nocte sup-  
plicantem animaduerterint ( eleuante  
spiritu sarcinam corporis) quatuor cir-  
citer cubitis à terra sublimem : & quidē  
ex confortio sermonis Domini (quod  
de Moysē scriptum legimus) tota facie  
mirum in modum radiante.

*De studio collato ad proximos adiuuan-  
dos. Cap. VIII.*

**Q**VAE omnia , quamquam egre-  
gia atque expetenda per se , tamē  
eo pluris erant in Ignatio facienda ,  
quo magis erant cum aliorum fructū  
& vtilitate coniuncta . Nam in cæte-  
ris ornamentiis ac beneficijs , quæ in e-  
um Deus plena manu concessit , illud  
equidem vel præcipuum duxerim ,  
quòd in tanto perfectionis ardore nō  
dedit illi spiritum solitudinis , ani-  
mūmve vni sibi vacantem , sed Chri-  
stianæ propagandæ fidei cupidissimū ,  
ac mire studiosum diuinæ gloriæ , sa-  
lutisque communis . Cùm igitur a-  
cta eius in Monte ferrato (quamquam

ca

ea ipse occultissima voluerat esse) institutamque vitæ asperitatem ac sanctimoniam vicinis locis fama vulgareret, ac nobilitatem viri præcipue, rumor (vt fit) etiam in maius attolleret, ingens hominum concursus ad eum fieri cœptus, partim visendi gratia, partim etiam consulendi; quos ille ut omni conatu quam acerrime ad Christū adiungeret, neu squalor ille nimius, & diutina illuuiies ad se adeuntibus terrorem incuteret; primum deponere fardes, & externum corporis habitum cœpit aliqua ex parte componere: deinde cum intelligeret, difficilem in primis & ancipitem esse curationem animorum; quo cautius rectiusque in re tanta procederet, ope diuina suppliciter etiam atque etiam implorata, suæ conuersionis originem, ac seriem, variasque temptationum procellas ac nebras, & subsequuntam mox tranquillitatem ac lucem, quam accuratissime secum expendens, demum ex ijs quæ partim cœlesti magistro dictante percepérat, partim etiā ipsem etiā experiendo cognorat, de fructuosa ratione

nc meditandi orandique, præclaras obseruationes & saluberrima præcepra conscripsit: qui liber (vt antea dictum est) Exercitiorum spiritualium titulo, tempore procedente deinceps ab eodē auctus atque recognitus, & Romani Pontificis iudicio ac testimonio comprobatus, ita multos omnis etatis atq; ordinis homines tum in eligendo genere vitæ, tum in componendis moribus, perturbationibusque sedandis, ac præfertim in retinenda constantia salutari, mirum in modum iuuuit, iuuatque quotidie; vt iure optimo videatur hoc non in postremis numerandum esse remedijs, quæ diuina bonitas hac hominum ætate vel ad corrigenda sæculi vitia, vel ad renouādam veterem Ecclesiæ disciplinam clementer adhibuit. His ergo meditationibus, quos ad bonam perfectæ virtutis frugem Ignatius reperiebat idoneos, paulatim, & quasi per gradus cœpit excolere: cæteros interim precibus monitisque, prout sepe dabat occasio, à vitiorum fœditate deterrens, atque ad studium æternæ beatitudinis incitans: idque eo libentius

bentius atque securius, quod communicandis ijs, quæ à Domino acceperat, nihil interim sibi religionis ac spiritus deperire sentiret. Nec solùm venientes ad se benigno excipiebat alloquio; sed etiam invitatus interdum ab alijs ad prandium, minime recusabat accedere; nimirum eo cōsilio, ut ex re & ex tempore sumpta occasione, qui se in Dei gratiā terrestri paucissim cibo, eosdem ipse vicissim spiritualibus epulis, & opportuna quapiam adhortatione reficeret. Atque in hunc ferè modum adiuuante Domino permultos ad arctam salutis semitam, à via lata & spatiosa traduxit.

*E graui morbo periclitatur.*

*Cap. IX.*

**S**ED in eiusmodi curam dum incūbit ardenter, nec tamen interea fere quidquam de assiduitate precandi, ac de quotidiana vitæ asperitate diminuit, morbum ex ingenti labore contraxit adeo pericolosum & grauem, ut sequente atrociter febri, proxime ad mortem accesserit. quo tempore & op-

D pidi